

DAPHNIS - ECLOGA I IN LAURENTIUM MEDICEN

E_1 v.1 Daphnis pastor erat, Nymphae correptus amore,
 2 Arni Naiadum turba quae pulchrior omni
 3 praestabat reliquas excelso vertice Nymphas.
 4 Hic puer, in teneram. Dum formosissimus herbam
 5 ductitat unus oves pastum simasque capellas,
 6 ista canens suavi referebat carmina voce :
 7 "Hoc ego commerui, nimium crudelis, amando,
 8 ut me continuo fugias ? Sic cervaleonem,
 9 sic fugit agna lupum quotiens videt usque rapacem.
 10 Ne timeas oro : meme quid spernis amantem ?
 11 Cui nondum posita crevit lanugine barba,
 12 necdum luteolo pallescunt membra colore,
 13 ni quantum jubet asper amor, nec turpis honestam
 14 mi puero faciem, nec ruga senilis aravit.
 15 Quem fugis, ah, nescis quo sum de sanguine cretus,
 16 unde genus ducam ! Similis tibi nomine, Nympha
 17 mater adest ; pater est mi pastoralis Apollo.
 18 Is quoscumque vides me possedissee juvencos
 19 jussit, et innumeras Fesulanis montibus agnas :
 20 hinc mihi sive novi, veteris seu copia lactis
 21 semper adest ; caseo mater mea semper abundat.
 22 Sunt mihi praeterea prisca complura Mucelli
 23 pascua, quae Nomadum possint evincere saltus.
 24 Adde quod et Musae me jam dixere poetam,
 25 et mihi Daphnaea cinxerunt tempora fronde.
 26 Hinc ego sum lauri dictus de nomine Daphnis
 27 pastor ab Etruscis : viridi nam doctus in antro
 28 tale vel agresti modolor tibi carmen avena,
 29 dicere quale solet divino Tityrus ore.
 30 Insuper, hac cithara meme donavit Apollo,
 31 "Qua" mihi "Dircaeo si condere moenia ritu
 32 percupias", dixit, "modulis fidibusque canoris,
 33 in numerum lapides iterum conjungere possis."
 34 Nonne vides cantu tauros gestire feroces ?
 35 Nonne feras sentis quam mitia sumere corda ?
 36 En, durae nostro flectuntur carmine quercus !
 37 Mollitae numeris respondent plurima silvae !
 38 Tu tamen una fugis, nec verba precantia curas.
 39 O, saltem libeat nostros audire labores,
 40 quos ego sustineo te propter, diva, nefandos !
 41 Namque dies memini longos sub sidere Cancri

42 trivisse et longas brumali frigore noctes,
 43 dum subeo montesque feros atque invia lustra
 44 protinus inquirō, graviore concitus oestro.
 45 Testis enim nobis armentum, testis ovile,
 46 saepe quod in silvis tenebra veniente tetendi.
 47 Huc ades, o virgo, Tyrrheni prima fluenti :
 48 jam juvat incinctae me sumere tela Dianae,
 49 atque acres torquere feras, aprosque feroces
 50 cominus injectis venari saepe sagittis.
 51 Siste gradum, precor hoc tantum, patiaris amari,
 52 et precibus nostris placidas neu clauderis aures !
 53 Sunt mihi luteolo violae rubroque colore ;
 54 candida praeterea viridi sunt lilia fronde ;
 55 hic lentae salices frondent ; hic mollior herba
 56 et viret et teneros pascit cum matribus agnos.
 57 Naiades hoc Nymphae nitido quoque fonte natare
 58 saepe solent, petra Medicum qui manat ab alta.
 59 Hic errant pingues per mollia prata juvenci ;
 60 huc potum veniunt Terzollae ad flumina pasti.
 61 Hic ubi prospectum nequeunt amittere nostrum,
 62 fluminis ad ripas alterna sorte canamus :
 63 in laurum dices veluti Peneia virgo
 64 versa est ut castum servaret casta pudorem ;
 65 at mihi materia est Etruscum dicere Pana.
 66 Hinc tu, Nympha, mei certissima causa furoris,
 67 suscipies quantas nostro de carmine laudes !
 68 Namque canam Tuscas superes ut sola puellas,
 69 non tantum forma, sed casto insignis honore.
 70 Ipse canam : pulsae referent tua nomina valles
 71 ut neque jam caespes, nec jam virgulta, nec ipsi
 72 muscosi fontes, nec circum flumina ripae
 73 ipsa mei valeant causam nescire furoris.
 74 Sic, loca dum simae carpent abrupta capellae,
 75 cantibus et cithara semper celebrabere nostra.
 76 Diceret haec Daphnis cum jam lucentibus astris,
 77 pastas ad stabulum cupiens duxisse capellas,
 78 constitit, ex illoque dedit se Nympha videndam
 79 pastori, quoniam tantum spectare cupisset.

NICOMACHUS - ECLOGA II IN LAURENTIUM MEDICEN

NICOMACHUS

E_2 v.1 Cur modo, cum tardos superes ruditare subulcos,
 2 et tua non ullum resonet tibi fistula carmen,
 3 te tanti facias, ut noles cedere cuiquam ?
 4 An quia dilectus morem tibi gessit Amyntas ?
 PIMENEUS
 5 Non ego me multi facio : sed, Tityrus ipse
 6 quod docet ut valeam silvas mulcere canendo,
 7 posse mihi videor multis praestare ; nec usquam,
 8 tu velut objectas, morem mihi gessit Amyntas.
 NICOMACHUS
 9 Et me silvestres idem celebrare Camenas
 10 Tityrus edocuit, solus cantare peritus,

11 montibus in Fesulis. Quin haec mihi fistula duros,
 12 qua me donavit, longum solatur amores ;
 13 haec quoque non humiles solum cantare myricas,
 14 sed magnas etiam jam pridem dicere pinus
 15 me docet, huc pastum duco dum forte juvencos,
 16 ut sim iudicibus cunctis nunc alter ab illo.

PIMENEUS

17 Sentiatur hic alius quicquid velit, ipse canendis
 18 versibus huc venias numquam me iudice doctus,
 19 neve tuum tenero spectatur carmen Amyntae.

NICOMACHUS

20 At si nostra tibi minime laudanda videntur
 21 iudiciumque tuum rudis est puer inde secutus,
 22 non graviter patior, cum me doctissimus ipse
 23 Tityrus et dulces laudent mea carmina Musae,
 24 cum mihi non placidam tantum placare puellam
 25 sed rigidas possim cantu vel flectere quercus.

PIMENEUS

26 Si tam dulce canis, capias ut carmine Musas
 27 et durae quercus iam nunc tua verba sequantur,
 28 experiare velim sis hoc quam doctus in antro,
 29 hirtae dum cytisi pascentur fronde capellae.
 30 Efficiam posthac sileas ut victus in aevum !

NICOMACHUS

31 Non equidem infitior : tecum certare paratus
 32 sive placet lato penitus cecinisse sub antro,
 33 seu placet aeriis in montibus, haec mea nusquam
 34 pertimeat varias disperdere fistula voces ;
 35 sed tecum posito nusquam nisi pignore certem.

PIMENEUS

36 En, ego vel geminos depulsos matribus haedos,
 37 quique gregem possint soli instaurare cadentem,
 38 depono ; quibus est aliquid quod forte rependas ?

NICOMACHUS

39 Hic tu seu vaccam libeat, seu sumere taurum,
 40 sive ambos potius, non me res ulla moratur
 41 quominus ad pugnam veniam ; sed pignore quantum
 42 te supero tantum nostro superabere cantu !
 43 Sed te certando ne victum forte negares,
 44 intersit Crisis nobis cantantibus opto.

PIMENEUS

45 Accipere hunc dubitem, quo non est justior alter
 46 inter pastores ? Sed tu, dum sorte canemus
 47 alterna, Crisis, quoquam discedere noli :
 48 nam neque pignoribus tantum contendimus istis,
 49 pro pulchro quantum nobis certatur honore.

CRISIS

50 Quod petis, o puer, a me, Pimenee, libenter
 51 exsequeris : tantae sed te committere pugnae
 52 non aequum est. Quis enim possit se aequare canenti
 53 Nicomacho, plures tulerit qui victor honores
 54 quique diu meditans tantum cantaverit olim,
 55 illius referant ut mutae carmina silvae ?
 56 Siquando tenerum, calamo iam docte, labellum
 57 triveris, et multos poteris meditatus in annos
 58 quod valet hic dulci carmen cantare sub umbra,

59 protinus in tantas venies me iudice pugnas.
60 Hic monitis paret : saturos agit ille iuvenços.

ANTHIPHILUS - ECLOGA III IN COSMUM MEDICEN

E_3 v.1 Vertice sub Fesulo late patet undique campus,
2 plurima dat pecori qui pascua, plurima quando
3 prata nitent, virides praebentia protinus herbas.
4 Possidet hunc Nymphis Arni formosior una,
5 pastorum genus illa trahens de sanguine regum
6 quos olim geminam miserans lupa Martia prolem
7 expositos aluit Tusci prope Tibridis undam,
8 nomine quae proprio dicta est Anthea puella,
9 formosi pecoris ditissima, quale nec olim
10 dicitur Admeti tenuisse Amphrysia proles.
11 Haec mirata satis pingues ubi forte iuvenços
12 conspicit hos quibus Anthiphilus formosior ipso
13 Daphnide praefuerat, pastorum maximus, est sic
14 percontata virum : "Quae te sollertia cepit
15 ut, cum non pasti fuerint vel mane iuveni,
16 sorte quibus custos datus es, magis omnibus istis
17 qui mihi sunt reliqui, pastis licet, usque nitescant ?
ANTHIPHILUS
18 "Hujus sola venis nostri tu causa laboris :
19 protinus ante alias tibi nunc, pulcherrima rerum,
20 enitor placuisse satis. Tu ignosce fatenti :
21 uror amore tui ; sed me pudor ipse quod uror
22 hactenus edocuit nostrum texisse furorem.
23 Hinc cupio quaecumque cupis tu, diva, jubesque :
24 inde tibi pingues redeunt in tecta iuveni ;
25 hinc, quia te noram in vitulos advertere curam,
26 invigilo, ut fetae distendant ubera vaccae
27 laetaeque decerpant ut pascua, mater in ipsos
28 sufficere ut possit lactentes vacca iuvenços.
29 O nemorum virgo Fesulum tu Delia nobis
30 semper eris ; semper castis altaria donis
31 fumabunt, castosque tibi mactabimus agnos.
32 Tu modo, tu memori talem, dea, mente libenter,
33 ut facis, accipias animum". Nec plura locutus
34 praeparat in saltus nitidos agitare iuvenços,
35 non curae tantum incumbens velut ante priori
36 quam nemori cupiens et amicis dicere silvis
37 gaudia muneribus dominae quam magna tulisset.
38 Ast, ubi perventum quo pingua fertilis humor
39 pascua reddiderat laetissima, carmine solus
40 ista canens vitulis tantum praesentibus inquit :
41 "Montibus his non est nunc me felicior alter :
42 pastorum dicor Fesulorum primus, et omni
43 protinus armento praesum gregibusque tuendis.
44 Quod caput est, Anthea, meo satis aequa labori,
45 Muneribus multis me nunc facit ipsa beatum.
46 Adde quod et nostrum non aspernatur amorem,
47 sed sinit a nobis, quamquam servimus, amari,
48 me propria solum dignata accumbere mensa.

49 Hinc fruor aspectu dominae, fruor inde benignis
 50 colloquiis, quibus illa Jovem sapientior ipsum
 51 urat, et a superis cogat descendere regnis.
 52 Non est mortali nimirum sanguine creta,
 53 aeternis ast orta deis o, quantus in ore
 54 candor inest ! Quanto splendescunt membra nitore !
 55 Non venit alma Pales istac formosior, aut quae
 56 ducit Hamadryadas saltus Diana per altos.
 57 Quod timeam nil est igitur, nisi, Livor, in istis
 58 tam fortunatis rebus tua dira venena ! ".

AMYNTAS - ECLOGA IV IN COSMUM MEDICEN

AMYNTAS

E_4 v.1 Quo tam tristis abis fugiens ita dulcia, pastor,
 2 arva ? Quid est causae qua sis adductus ut istos
 3 Florentis patriae saltus et ovilia linquas ?
 4 Cum modo, laetus oves ducens in pascua laeta,
 5 laederet has aliquod semper neu triste timeres.

ANTHIPHILUS

6 Invitus patriam fugio saltusque feraces,
 7 nam mihi nulla quidem causa est qua dulcia linquam
 8 arva, sed, heu, Livor patrio me pellit ab orbe,
 9 linquere quem statui potius sedemque paternam
 10 quam per me, patriis nollem si cedere ab agris,
 11 saeptus in Etrusco pereat grex totus ovili.

AMYNTAS

12 Vir quis in Anthiphilum scelus hoc patrare sit ausus
 13 saltibus in Tuscis quo nec prudentior alter,
 14 nec melior diram a gregibus defendere pestem ?
 15 Quin ego pro meritis, pastor, pro talibus actis
 16 invidiae motus jam te superasse nefandos
 17 posse, nec inde tibi quicquam nocuisse putabam.
 18 At secus evenit, quia, tu licet optimus esses,
 19 non nullis tamen expulsus, non jure, tyrannis
 20 cogere armentum patriumque gregesque tuosque
 21 linquere. Quis caelum terris non misceat omne
 22 tristibus, heu, verbis et sidera dicat iniqua ?
 23 Scire velim leges quas nunc, quae jura tenemus,
 24 aut quae virtuti ponuntur praemia, si tu
 25 pelleris, Anthiphilus, qui tot bona summa dedisti
 26 omnibus his nobis, patriam qui cautus ab hoste
 27 texisti saevo totiens, virtute suprema.
 28 Quis nos hinc doceat pluvias ventosque futuros,
 29 armentum in stabulis qua tempestate tenendum,
 30 tempore seu quo sit ducendum in mollia prata,
 31 ne, procul a tectis nimium dum longa subimus
 32 Pascua, tempestas oriatum et horrida grando,
 33 quae pariter noceat pecori pecorisque magistris ?
 34 Adde quod Etruscis etiam pastoribus unus
 35 optimus exstiteras sedandis litibus auctor,
 36 ceperat interdum si quos discordia demens.

ANTHIPHILUS

37 Heu, nihil Invidiam contra valet, optime, nec me

38 defendit meritum, magnum licet, omnia quando
 39 sint quaecumque velis : augent tamen ipsa venenum.
 40 Nam bene pro meritis in nos si nascitur acer
 41 Livor et Invidiae motus agitantur acerbi,
 42 quicquid ages cumulans meritum conabere frustra.
 43 Nam quanto melius facies aut causa priori
 44 major erit, merito tanto magis invidus ardet.
 45 Sic nisi fata juvant, ni nos tutatur Apollo,
 46 obruimur meritis et sorte urgemur iniqua.
 47 Ergo vale, et vestro tantum dilecta bubulco
 48 - invitus linquo nam vos - armenta, valete.
 49 Non ego vos, vituli, non vos, mea cura, juvenci,
 50 errantes posthac umquam per prata videbo.
 51 Hinc procul a patria - quod numquam credere quivi -
 52 Illyricosque sinus veniam Pontumque sonantem.

AMYNTAS

53 Hic tamen hos mecum poteris vitare calores,
 54 aestibus, ecce, diem medium dum Phoebus adurit,
 55 dum defessa sonant raucis arbusta cicadis.
 56 Nam mihi sunt liquidi fontes et amoena vireta,
 57 in quibus hic molli paulum requiesce sub umbra.
 58 Et neque te macera : namque, ut mens augurat ipsa,
 59 post paucas - licet hinc fugias expulsus - aristas,
 60 si Deus annuerit, rediens tua regna videbis
 61 dixerat ; et lacrimas simul effundebat Amyntas.
 62 Anthiphilus vero spatiiis compulsus iniquis
 63 temporis, hinc abiens, Venetos concessit in agros,
 64 cujus in abscessu tristes gemuere leones,
 65 pro canibus pecori quos ille tenebat amicos
 66 custodes : miseri necnon flevere juvenci ;
 67 desertae pecudes, hirtae flevere capellae.

MELIBOEUS - ECLOGA V IN COSMUM MEDICEN

E_5 v.1 Quamvis nostra petit quae te modo, Cosme, Camena
 2 sit Medicum magnis nimirum molibus impar,
 3 posseque diffidat ludens tua ducere facta,
 4 qualiscumque tamen, Lydam dum protinus urbem
 5 incolet, Etruscos inter versata Quirites,
 6 te canet in triviis, te tota semper in urbe
 7 audebit verum Patriae dictare Parentem.
 8 At si quando captus amoeni ruris amore
 9 invisam valles Arni montesque propinquos,
 10 agrestes Cosmum silvas resonare docebo.
 11 Usque canent humiles mecum te, Cosme, myricae,
 12 ut neque sit caespes, nec sint arbusta, nec ipsi
 13 muscosi fontes, nec circum flumina ripae,
 14 quae nescire tuas laudes aut nomina possint
 15 interea Fesulo de te Meliboeus Amyntae
 16 quae referat, pingui vitulos dum pascit in arvo,
 17 te precor haec, Medices, placidas demittere in aures,
 18 Cosme, velis, minimum non dedignatus honorem.

AMYNTAS

19 Nescio si quae sit tua nunc, Meliboee, voluptas,

20 hoc scio, quod certe magna est, quaecumque sit illa :
 21 tanta quidem tacitum pertentant gaudia pectus,
 22 ecce, tuum ; me nunc veluti tu gestibus ipsis
 23 nosse quid acciderit cupidum docuisse videris.

MELIBOEUS

24 Non ego, si Linus ipse forem, si pulcher Apollo,
 25 enarrare queam quam sit mea magna voluptas,
 26 gaudia seu teneant quae nunc armenta gregesque.
 27 Anthiphilum noras, Fesulis in montibus unus
 28 qui fuit in dandis responsis optimus auctor,
 29 haedis quo nullus melior prospexit et agnis ?
 30 Expulit hunc Livor patria de sede, sed, ille
 31 dum procul abscedens haec liquit ovilia certe,
 32 tanta quidem scabies teneros cum matribus agnos
 33 corripit et furor, heu, vitulos ita concipit omnes,
 34 ut, luctarentur versis dum cornibus acres,
 35 heu, miseri caderent fracta cervice juvenci.
 36 Hic igitur virtute nova fatisque benignis,
 37 cum satis invidiam meritis superaverit omnem,
 38 En, subito rediit, Tuscos revocatus in agros,
 39 adventu cujus videas nil tristius usquam,
 40 cuncta sed aspicias necnon et pascua laeta.
 41 Quaerere tu noli : lux est ita visa benigna
 42 isque dies nobis, cum maxima numina ruris
 43 obvia sunt homini redeunti facta, sed ipse
 44 arbore Pan primus frontem redimitus amata
 45 adfuit. Huc etiam pastoribus optima Tuscis
 46 alma Pales venit ; Nomius quoque venit Apollo.
 47 At simul Anthiphilum venerata est turba deorum,
 48 protinus hunc omnes concordi voce rogarunt,
 49 num quoquam patriis ubi discessisset ab arvis
 50 dilecti quondam pecoris sibi cura recessit,
 51 an amor est idem in pecudes velut ante fuisset.
 52 Aurea post omnes Nymphis comitantibus ipsum
 53 est affata virum verbis Anthea benignis ;
 54 nec mora : perpetuam jussit sperare salutem.
 55 Protinus haec eadem, ne quid mala lingua noceret
 56 rursus (ut Anthiphilo nocuit cum pulsus ab agris
 57 ipse fuit patriis), hedera dea Tusca sequaci
 58 cum exornasset, cinxit quoque baccare frontem.
 59 Inde, gubernaculum tradens Anthea bubulco,
 60 inquit : "Sume pedum, quod tu velut ante tenebas,
 61 semper in armentumque meum pecudesque teneto ! "
 62 Annuit Anthiphilus dominae jussumque facessit.
 63 Hinc venit ista quidem, pastor mea summa voluptas.
 64 Hinc pecoris veniunt, hinc Tusci gaudia ruris.
 65 Cum sint quae lusi, graciles modulatus avenas,
 66 parva, nec ingenti Medicis spectanda favore,
 67 haec : rogo vos, Musae, faciatis ut optima Cosmo,
 68 Cosmo, qui mundi mensuram nomine complet.
 69 Siquando major nostro de pectore surget
 70 spiritus et vates non dedignetur Apollo,
 71 Pierides vestros me delibare liquores,
 72 divinas ausus Cosmi describere laudes.
 73 Temptabo currus lato deflectere campo.

CORYDON - ECLOGA VI IN COSMUM MEDICEN

E_6 v.1 Jam jubar exortum noctis dimoverat umbram
 2 inque novos latum radios diffuderat orbem,
 3 Alpheo Corydon, Fesulo de vertice pastor,
 4 planitiem spectans, haec est cum verba locutus,
 5 dum procul errantes carpunt dumeta capellae :
 CORYDON
 6 De senibus quondam nostris audire solebam
 7 ut locus hic magnis confertus cladibus olim
 8 exstitit, et multos hominum contrivit in armis,
 9 ut saepe incurvus terram dum scindit arator
 10 inveniatur galeas scabra rubigine fractas.
 11 Nunc et summa quies late tenet omnia montis
 12 pascua, laetitiaque omnis gestire videtur
 13 accola, nec pestem pecori timet inde malignam.
 14 Haec ego conspicio ; tantae sed causa quietis
 15 unde sit, ignoro. Cupio tamen, et mihi nusquam
 16 noscendi cessat nostro de pectore cura.
 17 Dixerat hoc Corydon ; vos quae responderit alter,
 18 Pierides, vos haec nobis memorate, puellae.
 ALPHEUS
 19 An ita sis factus, Corydon, stupidusque rudisque,
 20 ut quae non simae tantum, tua cura, capellae,
 21 sed lapides duri norunt silvaeque profundae,
 22 tu tamen ignores, humano semine natus ?
 23 Conspicis hanc oculis urbem quae proxima nostris
 24 constitit et nitidis Arnus quam dividit undis,
 25 quae pulchro varias ostendat vertice moles ?
 26 Illic tu stupeas, fulvos ubi forte leones
 27 videris exitiumque lupis pecorique salutem !
 28 Hic, prope Laurenti templum sedemque sacratam
 29 quam Medicum dicunt opibus consurgere magnis,
 30 quadrato constant excelsa palatia saxo.
 31 Quam pulchri postes hic sunt ! Quam pulchra nitescunt
 32 atria, de Fesulis late suffulta columnis !
 33 Haec ego, dum caseum Lydorum pauper in urbem
 34 venalem porto, pingues dum civibus haedos,
 35 mirando plures consumpsi protinus horas ;
 36 sed locus ipse domus, ubi sunt penetralia patris
 37 divini, quamquam late patet ille volenti,
 38 cognitus haud ullo tamen est in tempore nobis.
 39 Tantus enim splendor sacro descendit ab antro,
 40 et rudibus tantus praestringit lumina, fulgor,
 41 ut, nisi qui magnam paulatim cernere lucem
 42 praeparet, ipse prius doctus spectare minorem,
 43 non acies tanto possit durare nitori,
 44 ut nequit is, rutilum temptat qui cernere solem,
 45 hunc nisi sit solitus vitreo quoque fonte tueri,
 46 hic ubi lux ita se mundi minuisse videtur,
 47 ut nobis hebetes oculos minus inde fatiget.
 48 Sed tamen e multis accepi saepe quis esset,
 49 illius aut qualis surgat de pectore virtus.
 50 Nam medio sedet ille senex grandaevus in antro,

51 tam clarus cunctis hominum cunctisque verendus,
 52 ut, manibus falcem si prisca insigne teneret
 53 Saturni, queat ille deus, deus ille videri.
 54 Hunc adit opilioque frequens adeuntque subulci,
 55 ut gregibus capiant ex hoc praecepta tuendis,
 56 non aliter quam cum pastores cogit in unum
 57 Tityrus Etruscos Fesulis in montibus acer,
 58 dum vocat et justo cunctos moderamine servat.
 59 Ille senex igitur nobis haec otia fecit,
 60 securamque dedit nobis traducere vitam.
 61 Quin etiam propria Martem virtute tremendum
 62 expulit, extremosque ferum detrusit in agros
 63 huc ubi continuis nivibus loca cuncta rigescunt,
 64 ulla nec gelidis nascuntur gramina terris.
 65 Dixerat ; at Corydon stupidum caput extulit, altum

CORYDON

66 aera suspiciens : - Nimirum hic ille beatus,
 67 erigit has, inquit, prope nos qui maximus aedes,
 68 quas habitent casta sub religione manentes ;
 69 pullati Canones et Christi nomen adorent.
 70 Vah, coepi neminisse satus quo forte vir ille est
 71 colle sub hoc : Medices, miro qui captus amore
 72 visendi Fesulos, dum late armenta sequuntur
 73 pastores, nobis (o quam mitissimus !) olim
 74 ingenti villam construxerat acre decoram,
 75 heu, modo quem tristes etiam flevere myricae,
 76 quem durae quercus, non digna morte peremptum
 77 quin reor hunc etiam, si rite audita recordor,
 78 divini summa doctum virtute parentis,
 79 Hieronymo nuper sedem posuisse sacratam.
 80 Durus, qui monitis etiam Corydonis corum
 81 vix memini, quae plura puer cantare solebam.

ALPHEUS

82 Cur tam praesentem, dederit cum tot bona nobis,
 83 cantibus hunc nostris cunctemur dicere divum ?

CORYDON

84 Grandior at natu cum sis, Alphee, prius me
 85 incipe : te sequar usque, diem dum claudet Olympus.
 86 Alternis ergo coeperunt versibus ambo,
 87 insigni quorum laetatae carmine Nymphae,
 88 et Fesulas quaecumque tenent animantia silvas
 89 excepere sacros numeros ; quin protinus altum
 90 motavere caput vel durae robora quercus.

ALPHEUS

91 caulibus ut praestat longissima pinus in hortis
 92 aesculus utque humiles superat cervice myricas,
 93 sic bonus ille senex, dedit haec qui tot bona nobis,
 94 Etruscos vincit Medices virtute bubulcos.

CORYDON

95 Ipse licet faveat silvestri carmine primus,
 96 duras qui docuit cantu mitescere silvas,
 97 non tamen hunc possim merita celebrare Camena,
 98 illius aut laudes numeris aequare canendo.

ALPHEUS

99 Tu, bone, Tyrrhenos saltus silvasque tueris,
 100 per te maturis flavescit campus aristis,

101 Liber et ipse pater tibi se debere fatetur,
 102 plurima quod per te turgescat vitibus uva.
 CORYDON

103 Hoc duce pastores audent per prata juvencos
 104 ducere securi pastum simasque capellas ;
 105 nec pecori insidiasque graves lupus ipse parabit
 106 amplius, iste deus quoniam bonus otia curat.
 ALPHEUS

107 Rusticus et silvas donec lustrabit et agros,
 108 optabit fieri salubres dum pastor et agnos,
 109 hunc precibus vocet ante suis, huic sacra quotannis
 110 ponat, divinos jam nunc meditatus honores.
 CORYDON

111 Quid referam nostras quantum colat ille Camenas ?
 112 Ut nimis heu rudibus quamvis nullove lepore
 113 versibus exhibeat placidas mitissimus aures,
 114 neve levem dubitet dignam se ducere Musam ?
 ALPHEUS

115 Quod sibi reddemus tali pro munere carmen,
 116 est quia tam tenuem non aspernatus honorem ?
 117 Nam licet usque suum nomen tollamus ad astra,
 118 non tamen huic dignas grates videamur habere.
 CORYDON

119 Talia conantes vel si non possumus ambo,
 120 qualia conveniunt Medici, virgulta canemus ;
 121 saepius haec eadem paulo quae diximus ante,
 122 saepius haec saltem repetentur carmina nobis.
 123 Finierat Corydon, cum jam nox humida curru
 124 jungit equos, pastasque domum monet ire capellas.

CRISIS - ECLOGA VII IN COSMUM MEDICEN

E_7 v.1 Forte sub umbrosa Crisis consederat ulmo,
 2 quo Meliboeus oves, hirtas quo saepe capellas
 3 duxerat Anthiphilus, Lydorum maximus, aestu
 4 dum Titan medio latum combureret orbem :
 5 alter in Antheam graviter correptus amore,
 6 amplexum carae cupiens Amaryllidis alter,
 7 argutas vario complebant carmine silvas.
 8 At prior incipiens durum Meliboeus amorem
 MELIBOEUS

9 sic dolet : - Hoc miserum quid nunc, Amarylli, dolore
 10 afficis et precibus placidas non arrigis aures ?
 11 Te, simul haec pastum veniunt dumeta capellae,
 12 te, simul ad stabulum redeunt lucentibus astris,
 13 te sequor : argutae testes, Amaryllida, silvae
 14 sunt mihi ; tu tamen haud nostri misereris amoris
 15 aut aeger quod dum montes et pascua lustris
 16 confectos macie mors jam mihi comprimit artus.
 ANTHIPHILUS

17 Si te per silvas longe fugit ipsa procacem,
 18 si vocem miseri non audit dura precantis,
 19 jure facit, quoniam castum tu spernis amorem.
 20 An tu cum propriae non parcas, dire, parenti

21 debeat illa tuis umquam confidere verbis ?
 22 Quin hos tam turpes etiam, Meliboee, sequentem
 23 concubitus Dryades cum te videre puellae,
 24 opposuere manus oculis spectantibus ambas.

MELIBOEUS

25 Scilicet Hippolytus castos tibi cedat honores,
 26 ac Diana suas cupiat tibi credere Nymphas :
 27 non ego te violas et candida lilia plenis
 28 ad placidam vidi calathis deferre puellam,
 29 custodem ut propriis te praeferat illa juvencis ?

CRISIS

30 Quid sunt inter vos lites ? Quid saeva movetis
 31 jurgia ? Quid verbis gravibus contenditis ambo ?
 32 Durius, ah ! vobis hoc nam certamen abesse
 33 convenit : et mites immitia ponere verba.
 34 Carminibus vero si nunc certare canendis
 35 malitis, dominas si versu dicere vestras,
 36 dicite, sed positis omnino dicite verbis
 37 tristibus : agrestes placidi celebrate Camenas ;
 38 post referet meritas victor me iudice palmas.
 39 Quin age, tu, major natu, Meliboee, priorque,
 40 incipe nunc ; minor Anthiphilus te deinde sequetur.

MELIBOEUS

41 Pulchrior es nitido nobis, Amaryllis, olore,
 42 tu nive candidior, violis formosior ipsis ;
 43 tu tantum roseas praestas candore puellas,
 44 purpureis quantum tollit se pinus in hortis.
 45 Te sum non geminis agnis haedisque potitus,
 46 sed gregibus magnis, tibi quos donavimus olim ;
 47 tu me si jubeas dulcem deponere vitam,
 48 meme non dubitem cunctis offerre periculis.
 49 Ah, quotiens gelidas Alpes et flumina Rheni
 50 Eridanique patris trasnavi protinus undas,
 51 pingua ne desint Romanis pabula vaccis.
 52 Quin etiam celeri longinquos classe Britannos
 53 dum subeo, caram cupiens ditare puellam,
 54 sunt prope submersae naves surgentibus Austris.
 55 Me quoque pastorem Latium Germania vidit,
 56 conantem dominae saltus augere feraces.
 57 Fertilis et post haec lustravi pascua Nili,
 58 muneribus dum victa meis precibusque coacta
 59 amplexu cupido me nunc facit illa beatum.

ANTHIPHILUS

60 Ast ego si nigris Antheae captus ocellis
 61 atque gravi peream nimium succensus amore,
 62 non tamen ex illa quicquam nisi castus amavi.
 63 Testes sunt gelidi fontes et flumina nobis,
 64 Africus et Medicum gratus Terzolla Camenis,
 65 sunt virides lauri, quarum me densior umbra
 66 integit, et vario pulcherrima prata colore.
 67 Nam formae meritis et sacri Anthea pudoris
 68 alma Pales manet illa mihi semperque manebit.
 69 Haec ubi me vitulis praefecit amata tuendis
 70 custodem, dominae nusquam mandata fefelli.
 71 Quod si forte suo tantum grex crevit ovili,
 72 ut quaerenda forent gregibus nova pascua Tuscis,

73 non tamen aut aliis credenda armenta putavi,
 74 aut procul a patrio curavi emittere saltu ;
 75 sed volui semper solitis includere saeptis,
 76 neu lupus insidians pecori neu pabula terrae
 77 immutata queant pascentes laedere foetus.
 78 Pascua sed cum non satis haec Tyrrhena fuissent,
 79 complures misi diversas cautus in oras,
 80 undique qui gregibus deferrent pabula nostris,
 81 qui possent saltus quod non producit Etruscus
 82 huc ad nos tandem longinquis mittere ab agris.
 83 Haec ego curavi magno faciunda labore,
 84 ut valeant dominae per me pinguescere foetus ;
 85 aspectu cujus nec nos subtraximus usquam,
 86 illius auderet ne quis violare pudorem,
 87 pro quo servando possim deponere vitam.
 88 Nam neque sum facie tantum correptus honesta
 89 qua, formosa, rosas et candida lilia vincas,
 90 quantum purpureo me perdis, casta, pudore,
 91 quem dum servabis, nostrum servabis amorem.

CRISIS

92 Este pares ergo cantandis versibus ambo !
 93 Pace tua dicam ; sed tu, Meliboeae, videris
 94 turpius in dominam te nunc gessisse verendam
 95 dum cupis optatam demum vitiare puellam.
 96 Magna licet blando capiatur amore voluptas
 97 labitur illa quidem celeri velocior Euro ;
 98 Anthiphilus vero, quoniam te castior ipso
 99 Anthaeae voluit priscum servare pudorem,
 100 talia dona ferat (vitulum cui deinde nitentem
 101 protulit, haec dicens). Merito te munera nostra
 102 insignem faciunt, o Tusci gloria saepti !
 103 Dixit ; in amplexum post haec Meliboeus amatae
 104 confugit, Anthiphilus dominae sua munera donat.

ORNYTUS - ECLOGA VIII IN PETRUM MEDICEN

C_8 v.1 Ornytus in Fesulis habitabat montibus, unus
 2 inter pastores doctus seu dicere carmen
 3 seu quoscumque velis calamos inflare palustres.
 4 Hic dum forte suas pastum jubet ire capellas,
 5 dum canit, et varia permulcet arundine silvas,
 6 rupe sub adversa tenerum speculatur Amyntam ;
 7 arsit ut inspexit, duro, correptus amore :
 8 nam licet hic facilem sese praeberet amanti,
 9 invidus ipse tamen non concedebat Iolas.
 10 Has igitur lacrimans, inter virgulta greges dum
 11 custodit, maesta fundebat voce querelas :
 12 Quid me care puer dulcem deponere vitam
 13 quid miserum lacerans spe multum fallis inani ?
 14 Nam mihi quid prodest, quod me non spernis amantem,
 15 quod tibi nostra placent haec carmina, quodque libenter
 16 accipis et laeto quae do munuscula vultu,
 17 deseris heu si me, stulto dum credis Iolae ?
 18 Me minus urgeret penitus si, pulcher Amyntas,

19 me fugeres, si quae facio non grata putares !
20 Namque ego sic mecum : gravis haec injuria quamvis
21 est nimis, at puero tamen haec mihi venit ab illo,
22 pro quo, si jubeat, possim deponere vitam,
23 et qui si nolit nolim quoque vivere ; sed quod
24 causa sit ut te non habeam nunc tristis Iolas,
25 hoc graviter patior, nec possum ferre ; sed acri
26 corda tument odio, siccum jecur ardet ob iram !
27 Nam nihil est homini gravius, si quaeris, amanti,
28 rivalem quam ferre malum : non Pana supremum
29 praesit, et a scabie totum defendat ovile.
30 Huc ades, o saepti decus et spes optima nostri,
31 hicque velis habitare, puer, neu desere qui, te
32 dum sic per silvas sequitur perque in via lustra,
33 plus amat, atque tua possit pro laude tuaque
34 pro vita possit vitam, formose, pacisci.
35 Huc ades : agrestem noli contemnere Musam.
36 Hic frondent lauri virides hederaeque sequaces,
37 hic gelidi fontes, hic prata recentia rivis
38 non desunt, roseaeque tibi convallibus altis
39 ecce legunt flores tua nunc inserta Napaeae.
40 Huc ades, huc tandem : valeat sine turpis Iolas ;
41 nam tibi nil praeter barbam callosaque membra
42 hirsutumque supercilium, nil afferat ille !
43 At mihi quis nitor est vultus ! Quam pectore toto
44 pulcher ego ! Et toto quam nullae in corpore madae !
45 Canto quae solitus quondam cecinisse vir ille est
46 qui rigidas blando mulcebat carmine silvas !
47 Munera praeterea si quaeras, nulla daturus
48 hic venit, huic quoniam desunt armenta gregesque.
49 Ast ego quam nivei pecoris sum dives et agri !
50 Quot mihi nunc Fesulis pascuntur montibus agnae !
51 Denique si (dum te sequor et vestigia lustro,
52 en, tua per silvas duras saltusque profundos)
53 omnia deserui, nec me tenet ulla meorum
54 cura quidem nemorum pecorisque obliviam si me
55 usque tenent, sacrisque focis pia ponere sacra
56 si malus obmitto, si (quae mihi maxima cura
57 exstitit ante) Pales colitur non ipsa, sed acris
58 me totum tua cura tenet, si solus amores
59 unus habes nostros, si nunc mea carmina solus
60 accipis, et soli studeo placuisse, nec alter
61 te valet excepto de me mea sumere dona,
62 nonne decet tristem me propter linquere Iolam ?
63 Hei mihi, quid volui ? Precibus deus obstruit aures !
64 Nunc ego quem laesi demens, cum sacra quotannis
65 ponere desierim superiorum oblitus in aris ?
66 Nonne vides quam te fugiat nunc, Ornyte, qui te,
67 ni deus obsistat, nigros sequeretur ad Indos ?
68 At postquam Pan ipse meis conatibus obstat,
69 desinere est animus, finemque imponere amori.
70 Vos et oves igitur longum valeatis, et agni ;
71 non me custodem posthac spectabitis usquam :
72 extremum hoc habeat munus morientis Amyntas !

SILVANUS - ECLOGA IX IN COSMUM MEDICEN

E_9 v.1 Silva virens, prisca nemorosa in valle Mucelli,
 2 tollitur horrenti ramorum densior umbra :
 3 numen inesse putes, medio nam prominet antrum,
 4 cujus in ingressu tollit se pulchra cupressus ;
 5 formosae circum pinus laurique virescunt
 6 semper, ut Etrusco praestent umbracula Pani.
 7 Incola praecipue silvarum et parvus Amyntas
 8 atque Micon natu major, silvana propago,
 9 protinus exstiterant. Hirtas huc saepe capellas
 10 duxerunt pastum, cantandis versibus ambo
 11 edocti, nitidis intonsi crinibus ambo,
 12 virginea inter se facie, roseoque nitore
 13 persimiles ; uno sed vincens munere fratrem,
 14 tale Micon jungit suavi testudine carmen,
 15 annosae quali vel flectere robora quercus,
 16 et ramosa queat vel sistere flumina cursu.
 17 Hic igitur citharae tangit dum fila canorae,
 18 adjungitque simul cantum formosus Amyntas,
 19 ire vident multos scitatum oracula Panis.
 20 Mirantur primo quid vult concursus ad antrum ;
 21 post, ubi resciscunt, concordem protinus ambo
 22 visere Silvanum statuunt, ut nosse futura
 23 ex illo possint, ausus quod neuter eorum
 24 ante per aetatem teneram temptaverat usquam.
 25 Jamque propinquabant antro, jam vincla parabant,
 26 cum Pan, divino praenoscentis numine qualis
 27 causa foret caros quae cogeret ire nepotes,
 28 alloquitur geminos divino carmine fratres :
 29 Quo, pueri, vobis nostri fiducia cessit ?
 30 Creditis oblitum generis ? Non vincla parare
 31 est opus, ut maneam, non vim : nam, cuncta libenter
 32 dicturus vobis, patiar non ulla rogari.
 33 Jure quidem : nam vos e nostro semine natos
 34 Hoc sacrum coluisse nemus, vos denique silvis
 35 permisi propriis vestras pavisse capellas.
 36 Tum pueri, timido ingressi pede limina, Faunos
 37 dextra conspiciunt Satyrosque venire sinistra.
 38 Hinc et Hamadryades, praeduris quercubus ortae,
 39 protinus et, niveis incinctae vestibibus, ire
 40 spectantur Dryades sicco pede, Naiades udo.
 41 Sic, poscente deo, necnon quae floribus ipsis
 42 nascuntur roseae subierunt antra Napaeae ;
 43 alma Pales post haec tenues dilapsa per auras
 44 huc spicea venit frontem redimita corona.
 45 Quas ubi consessum Silvanus cepit in unum,
 46 non ipsae tantum Nymphae Satyrive quierunt,
 47 argutis etiam sed facta silentia silvis
 48 edicente deo ; nam : Sum res prisca, canebat,
 49 ante orbem natum. Lati primordia mundi
 50 edita sunt per me, densis admixta tenebris.
 51 Quae fuit, enituit per me lux candida primum.
 52 Aera praeterea jussi gravitate carentem
 53 secerni terris, et quae simul ante fuerunt

54 ignis et aequoreae permixtim protinus undae,
 55 per me nimirum variis distincta figuris
 56 diversos petiere locos, ut tempus in omne
 57 litibus inter se certent contraria magnis,
 58 cuncta quibus gignat demum discordia concors.
 59 Sic, quia naturae praesum cunctisque creandis,
 60 me proprio Graii dixerunt nomine "Pana."
 61 at, quia materies nullis obnoxia formis,
 62 massa rudis, priscis edicta est "silva" Latinis,
 63 "Silvanus" vocor ; hinc silvis delector opacis,
 64 hinc pecus est curae nobis pecorisque magister.
 65 Quin etiam medicas trado - quis crederet ? - artes :
 66 nam, simul ac scabies agnos invasit acerba,
 67 flumine quam primum jubeo mersare salubri.
 68 Quid referam quantum prosim pastoribus ipsis ?
 69 Aut animis quantos demam bonus ipse labores ?
 70 Nullus enim nostrae subit haec oracula mentis
 71 qui non ediscat dirum sedare furorem.
 72 Atque odiis posuisse modum : discordia longe
 73 tristis abest ; nullis fertur violentia saeptis ;
 74 tutus ab insultu pastor sua quisque tuetur
 75 pascua, militibus non diripienda malignis.
 76 Me duce Gradivus durissima vincula sensit,
 77 ne queat Etruscos Furiis vexare colonos.
 78 Otia sic dempto peraguntur grata labore,
 79 omnibus et pleno colitur pax candida cornu.
 80 Securae interea tondent virgulta capellae,
 81 ulla nec insidias metuunt armenta luporum,
 82 ut nihil haec aetas intersit et aurea quondam,
 83 haec nisi quod fluvios non vidit nectare plenos
 84 currere, nec quercus emittere roscida mella.
 85 Haec igitur medica quae nos bene gessimus arte
 86 polliceor vobis eadem mansura per aevum,
 87 dummodo vos nostro non discedatis ab antro
 88 talia dum memoro vos ut meminisse queatis ;
 89 nam veniet tempus quo nos imitatus uterque
 90 haec eadem post me populis ventura canetis.
 91 Finierat monitus, cum candida turba dearum
 92 consurgit, venerata patrem ; tunc : pulcher Amyntas
 93 concinit interea quo captus amore puellae
 94 Admeti fuerat quondam formosus Apollo :
 95 liquerit ut caelum, lucis dator optimus ille,
 96 passus oves viridi totiens pavisse sub ulmo,
 97 legibus ut tandem duri pareret amoris.
 98 Inde lyram plectro doctus bene pulsat eburno
 99 ipse Micon, tali demulcens pectine silvas,
 100 ut, dum pulsaret citharam, cantaret Amyntas,
 101 lux jam subnigrae nollet concedere nocti.

MICON - ECLOGA X IN LAURENTIUM ET IULIANUM MEDICES

E_10 v.1 Nos quoque, silvestres ausi celebrare Camenas,
 2 temptamus nemorum varios percurrere saltus ;
 3 cum Medicum vellem divinas dicere laudes,

4 Pan vetuit gracili modulantem carmina avena,
 5 dixit et : Has, pastor cum sis tu, pasce capellas.
 6 Nunc tibi cum plures etiam rear esse futuros
 7 qui docti cupiant Medicum nova dicere facta,
 8 Laurenti, verbisque tuum qui grandibus optent
 9 inter et heroas priscos attollere nomen,
 10 prosequar hoc tenui modulabile carmen avena,
 11 nec virgulta quidem prohibet me ludere vates
 12 Delius, hoc dederit cum jam mihi saepe roganti
 13 te tamen hac humiles ut conditione myricae
 14 usque canant, Medices : nam Musis gratius ullum
 15 quam de te scriptum possit quis dicere carmen ?
 16 Perge, Thalia, precor. Micon hanc et parvus Amyntas
 17 speluncam pueri viderunt undique clausam
 18 qua Pan Etruscus quondam, dum vita manebat,
 19 reddere vaticinans populis responsa solebat.
 20 Mirati primum quae sit nova causa requirunt ;
 21 post, ubi jam verso patefactis cardine portis
 22 interiora vident nigro squalere colore,
 23 ambo dolent tacitis percussi pectora curis.
 24 Ast ubi Silvani solium videre relictum
 25 et tanti vacuum sessoris imagesellam,
 26 heu, miseris antrum replerunt questibus omne ;
 27 praecipue Micon ipse quidem, cum grandior esset,
 28 lugubri tristes affecit carmine silvas :

MICON

29 Quid fieri non posse putem, si, Parca, beatos
 30 tollere sic audes vel tristi funere divos ?
 31 Reddere quis possit dubiis oracula rebus ?
 32 Quis queat a gregibus pestem defendere Tuscis ?
 33 Pascua quis doceat me nunc meliora bubulcum ?
 34 Aut ubi conveniat teneros depascier agnos ?
 35 Te, Pan, extinctum Dryades flevere puellae,
 36 teque leves Satyri, cum frigida membra parentis
 37 spectarent misero pressantem pectore natam.
 38 Heu, quem non dixit crudelem nata deorum
 39 cum te divino productum semine patrem
 40 cerneret indignae tandem concedere morti ?
 41 Te quoque pastores Fesuli, te, Faune, peremptum,
 42 te quoque, te Lydi graviter, tua cura, juveni
 43 luxerunt, maestique greges haedique relictis ;
 44 quin apis, ingenti penitus lassata dolore,
 45 floribus e variis quae sumere mella solebat,
 46 linquit opus, dulci nec replet nectare cellas.
 47 Si fuit a solito cuperet quae forte labore
 48 convectare favos sollers cerasque tenaces,
 49 tristis amara quidem, non dulcia mella recondit.
 50 Quid tibi tam fidos referam gemuisse leones
 51 mortem, dive, tuam, cum ferrea pectora, tigres,
 52 in silvis credam mediis fudisse querelas ?
 53 Quin etiam mater catulis errasse relictis
 54 victa dolore gravi fertur ; non ubera natis
 55 praebuit ulla suis, nec dulces attulit escas.
 56 Ergo purpureis hoc spargite floribus antrum,
 57 pastores, vestroque patri date lilia, Nymphae
 58 Petrides, atque etiam supremum dicite carmen :

59 Pan ego sum, qui, dum silvas saltusque tenebam,
60 carmen Apollineo respondi verius antro.

AMYNTAS

61 Candidus aethereum jam nunc ascendit Olympum
62 nonne vides caelum velut hoc laetatur honore ?
63 Utque novum sumpsisse deum gestire videtur ?
64 Hinc decus arboribus veniet frondesque virebunt
65 quae nunc arescunt. Pratis color inde redibit
66 laetior, et virides nascentur collibus herbae.
67 Flava Ceres alto spectabit vertice fruges,
68 quas olim maerore gravi confecta reliquit.
69 Liber et ipse suas producet vitibus uvas,
70 namque novum sidus Dryades vidisse fatentur,
71 sidus, quo steriles effundent pabula terrae,
72 et quo maturum melius dabit uva colorem :
73 Hoc Tusci venerare Leo custodia saepti !
74 Huic vos, cum sacrum Cereri ponetis honorem,
75 rustica cum Nomio dicetis carmina Phoebo,
76 reddite, pastores Fesuli, sollemnia vota.

MICON

77 Dicere non possum, quamvis ego Tityrus essem,
78 quae modo praeduri nobis solatia casus
79 usque tuum dederit tam delectabile carmen,
80 quam solet in molli fessum juvisse per aestus
81 gramine me frigus venti leve flantis opacum.
82 Hic quoque cum tristes tristi de pectore curas
83 dempseris, adversum cur non accedimus antrum ?
84 Ipse vides quali conspersum flore nitescat.
85 Hic lauri virides frondent ; hic maxima pinus
86 eminet ; hic oriens petra formosus ab alta
87 fons nitet ; hic densae praestant umbracula frondes.

AMYNTAS - DAPHNIS

88 An quicquam Tusco nobis sit Daphnide majus ?
89 Et deus ipse, canit necnon responsa petenti,
90 et sacri fertur Silvani e semine natus.
91 Concordes ergo subierunt Daphnidis antrum.
92 Quos ille ut vidit : - Fesuli spes optima saepti,
93 has, pueri, dixit, moneo, deponite curas :
94 quae Silvanus enim quondam bonus ipse canebat,
95 alterna vobis eadem sum sorte daturus.
96 At vos his monitis Tusco cupiatis ovili
97 inservire pares. Sed tu, cui noster Apollo
98 jam dedit ut cithara saevos placare leones,
99 et duras quercus possis mulcere canendo,
100 sume pedum, Micon, hoc a me quo rite labori
101 subvenias patrio : nosti nam doctus in altos
102 ducere nimirum saltus armenta gregesque.
103 Ille capit patris monitus ac jussa facessit.
104 Ex illo laetos videas gestire juvencos,
105 ex illo videas necnon et pascua laeta.

PIMENEUS - ECLOGA XI AD LAURENTIUM MEDICEN

ORNYTUS

N11 v.1 Quid juvat, heu, viridi Siculas ita, lente, sub antro
 2 carminibus, Pimenee, tuis mulcere Camenas,
 3 cum nec oves tibi sint, nec sint armenta, nec ulla
 4 vomis in exiguo tibi suscitet aequore glebas ?
 5 En, ego, qui plures etiam licet ipse capellas
 6 et pascam et plures vitulos in gramina ducam,
 7 unde novum laetus possim quoque dicere carmen
 8 non tamen hoc ullis ausim proferre sub ulmis ;
 9 usque adeo cunctos late fit turba per agros.

PIMENEUS

10 Quod mihi grex nullus superest neque campus aratus
 11 quod me frugifero paupertas privat agello,
 12 non nego, neve mihi pudor est quae vera fateri :
 13 id graviter paterer si me prope causa fuisset.
 14 Nam, me cum primum cari genuere parentes,
 15 dives eram pecoris, nimirum dives et agri.
 16 Quot mihi substravit tenero fidissima nutrix
 17 agnorum pelles, ut molliter ipse cubarem !
 18 Mi quotiens vario pinxit cunabula flore !
 19 Morbus at inde gravis teneros ita corripit agnos
 20 ut prope confectus scabie grex ipse periret.
 21 Me pater hinc moriens sola cum matre reliquit
 22 usque adeo puerum ne custodire valerem
 23 quod mihi restarat pecoris ; post, arpasus acer
 24 pauperis arripuit quicquid superesset agelli
 25 et lupus insidians teneros consumpserat haedos :
 26 quid puer hunc parvus contra, quid femina posset ?
 27 Sed si nosse cupis, quid cantus, Ornyte, nostros
 28 continuare juvat, dicam tibi nosse volenti.
 29 Cum me fortunae deceptum fraude viderem,
 30 illius insidias statui vitare malignas,
 31 nec tam fallaci puerum me credere divae ;
 32 sic me fingendum caperet cum Tityrus unus,
 33 unus qui reliquis melior pastoribus esset
 34 inflandis calamis et blandos dicere versus,
 35 purgavit mentem teneram prius ; inde puellas
 36 me docet esse novem seducta in valle Mucelli,
 37 carminis unde sacri modulos ediscere possem.
 38 Nec mora ; consului Tyrrheni oracula Panis,
 39 qui deus ex adytis ornatus falce recurva
 40 talia divino quam primum est ore locutus :
 41 "I, puer, agrestes jam nunc meditare Camenas,
 42 neve meum dubita jam nunc nemus ire per omne,
 43 nec te paeniteat silvas habitare profundas.
 44 Has ego fatidicus teneo satus aethere Faunus ;
 45 has tenet et Nomius de me qui natus Apollo ;
 46 has tenet e nostro qui Daphnis Apolline natus.
 47 Forsitan inde gregem duces in pascua laeta
 48 si modo - quod sacro jam nunc ego dignor honore -
 49 si probet hoc Daphnis carmen, si noster Apollo.
 50 Sed tamen ut tantos possis agnoscere divos,
 51 En, tibi describam sedes utriusque libenter.
 52 Alter in excelsa posuit sua numina petra,

53 fons vitreus summo cujus de vertice manans
 54 Etruscas dulci late rigat agmine silvas.
 55 Ater habet sedem sacri prope flumina patris,
 56 plectra tenens, fidibus Nymphas et carmine mulcet."
 57 Haec ubi me monuit, nemoris citus omnia lustrō,
 58 donec in hanc partem venio, qua lucus amoena
 59 fronde tegens lymphas sacrati fontis inumbrat.
 60 Hic ego sum divas supplex veneratus agrestes,
 61 ipsa suis quas usque tegit Parnassia laurus
 62 frondibus, admirans ; necnon quas viderat olim
 63 Pastor ab Amphrysio, quas nunc Tyrrhenus Apollo
 64 suscipit et priscum mavult habitare Mucellum.
 65 Hic animadvertens quantum me causa coegit
 66 per nemus ire suum, divino vertice vates
 67 annuit et citharam, manibus quam forte gerebat,
 68 mi dedit et dixit : "Pastor, dum vita manebit,
 69 his tibi Tyrrhenum fidibus dicatur ovile,
 70 gratius ut nostris possit nihil esse Camenis".
 71 Dixerat ; assurgunt Musae numenque salutant,
 72 illius ac firmant deflexo vertice dicta.
 73 Hinc est quod canimus densas nunc, Ornyte, silvas,
 74 dum sol ascendit montes, dum conditur undis.

ORNYTUS

75 Certe equidem audieram prisci sedisse Mucelli
 76 Aonias in valle deas, qua mole sub ipsa
 77 attollit Medicum viridis se lucus in auras ;
 78 te tamen agresti modulatum carmen avena
 79 non ego credideram, teneros qui ludere amores
 80 saepius assueras olim, sed si tamen audes,
 81 nec vetat hoc Nomius carmen te ludere vates
 82 dum cantas, Medicis ne digrediaris ab agris ;
 83 nam te pastores Tuscos qui temperat arte
 84 ipse carere diu non te patietur honore.
 85 Forsitan, es patrio qui defraudatus ovili,
 86 hoc duce nonnullas capies, Pimenee, capellas.
 87 En, ego, qui cecini quondam bene multa, reporto
 88 praemia digna satis : nam me jam dicere vatem
 89 non dubitat pastor Lydorum maximus, et me
 90 jam jubet in longos armentum ducere saltus :
 91 denique post pluviam tempus venit inde serenum.

PIMENEUS

92 Quae modo, quae cepi de te solatia, pastor,
 93 quam me proposito firmasti, docte, priori,
 94 praecipis inceptum dum me servare tenorem,
 95 a quo non vis ventorum, non horrida grando,
 96 dum jacet et fulmen non me Jovis ira movebit :
 97 nam mihi constitui, dum vita nec aegra supersit,
 98 si soles satis haud fuerint spatiumque dierum,
 99 ad cantus etiam longas adjungere noctes,
 100 hos ubi Tyrrhenus non aspernatur Apollo.